



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Mariae Virginis Sacratiss. Miraculorum Libri Tres**

**Vismara, Ercole**

**Mediolani, 1579**

Mirac. Virg. XXXV. Sibi ipsi D. Ioannes labia absciderat. decoris, & aureis labijs à Virgine exornatur; & appellatur Chrysostomus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

## MIRAC. VIRG. XXXV.

*Sibi ipse D. Ioannes labia absciderat. decoris, & aureis labijs à Virgine exornatur; & appellatur Chrysofomus.*

**L**iberali, ac decora facie, & forma excellenti D. Ioan. Chrysofomus praeditus erat. Eius pulchritudine accēsa mulier miris modis in amorem mutuum eum conijcere studebat. formae illius amore, ignis in pectore conflatus quotidie crescebat. Id ipse, qua erat morum castitate, aegrè ferens, ab ea sciscitatus est, quidnam in se magis pulchrum esset. Respondit illi mulier, tametsi, quicquid in ipso erat, incredibilem amorem excitauerat, se tamen labiorū decore mirificè esse captam. Id ubi audit Ioannes, labia abscidit; eaq. cupidae mulieri dono dedit. sanctus uir animi se deinde angebat; quòd nec concionari, nec Dei maximi uerba coram populo, uti cupiebat, posset expromere. Quocirca è coelo clementiae regina ad illum concedens, aurea labia ei dedit; qui postea Chrysofomus dici coeptus est. Neq. uerò eum aureo ore praeditum fuisse, quisquam diffiteri potest; quando è coelestissimo illo ore aurea dicta semper prouenerunt; & aureum ipse suis in scriptis orationis flumen semper effudit.

